



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & quando Iudex appellationis procedere possit ad citandas partes, vel delegare causam alteri, vel inhibere Iudici à quo, ne procedat in causa, & ne sententiam exequatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

à quo, sive ex prioribus actis probationes has depromendo, sive novas producendo. Quod si verò pars litigans exceptionem suam opponens, ob quam respondere non teneretur, à Iudice audita non est, & propterea appellavit coram Iudice appellationis, probare non tantum debet, appellasse se ex causa probabili; sed debet insuper probare causam illam veram esse, vel saltem probare debebit, allegasse se coram Iudice à quo causam, quare respondere non teneretur, & voluisse etiam in continenti hanc probare, auditum tamen non fuisse, (quia in illo casu pugnat contra appellantem præsumptio, quod vexandi tantum adversarii causâ noluerit respondere, & appellaverit, quæ in altero casu nihil probat) nisi extrajudicialiter tantum appellet, aut ablit Iudex, aut offeratur eo tempore probatio, quo non teneretur eam recipere Iudex, cum in talibus casibus vel non adlit Iudex, cui ex officio iucumbat recipere probationes, vel non offeratur probatio tempore conveniente.

§. IV.

An, & quando Iudex appellationis procedere possit ad citandas partes, vel delegare causam alteri, vel inhibere Iudici à quo, ne procedat in causa, & ne sententiam exequatur?

Iudex, ad quem fuit appellatum, non debet in causa interpositæ appellationis ab interlocutoria citare partes ante sententiam definitivam; neque causam alteri committere potest, nisi causa probabilis, seu legitima interpositæ appellationis sit expressa, prout statuitur in *e. Romana. 3. §. Cum autem h. t. in 6. cum*

in omni appellatione ab interlocutoria exprimi & probati debeat causa interpositæ appellationis, ut dictum: neque inhibere potest Iudici à quo, ne in causa illa procedat, aut sententiam exequatur, si contra appellationem ob defectum aliquem excipiatur, aut appellatus opponat, causam appellationis veram non esse, priusquam de legitima appellatione constet, quia prius constare debet de potestate jurisdictionis, quam ad illius exercitium procedatur. *Glossa in cit. c. Romana. §. Si verò V. Non presumant;* Quod ipsum etiam dici debet, si post sententiam quidem definitivam appellatum fuit, in casu tamen de jure prohibito; vel si de hoc dubitatur, ante omnia de causæ veritate Iudex appellationis cognoscere debet, ne frivola appellationi deferatur; admittenda tamen est appellatio etiam in casu à jure prohibito, si justa seu rationabilis causa in appellatione fuerit expressa, ut quod metu tormentorum v. g. vel per errorem confessus fuerit in prima instantia appellans. Plura ad hoc appellationis negotium spectantia ex relato *cap. Romana & Glossa illius cap. colligi* possunt.

§. V.

An, si litigans coram suo Iudice non appellavit ab interlocutoria, postea verò appellavit à definitiva, Iudex appellationis possit revocare interlocutoriam, & gravamen per illam illatum reparare?

DE hac questione agitur in *c. Licet 12. h. t. in 6. quod consule, quia casus rarus est.*

